

est fieri instituta in ecclesia &c. et Extrema animadvertunt in eos, qui ludunt tesseres ad aleam et qui simpliciter taxillos iactant.

III. fol. 11. Incipiunt notabilia de septem peccatis capitalibus. Praemittitur tamen etiam Institutio de Peccato generatim, de originali, veniali et mortali. Initium: *Peccatum est preuaricatio legis diuine &c.* Rubricae, ut supra.

IV. fol. 15. p. 2. Incipit tractatus de septem sacramentis sine quibus nemo saluari (potest?) Ideo lege ea. Initium: *Misericors et miserator dominus cuius misericordie &c.* Agit de Sacramentis in genere et specie, item de Donis Spiritus sancti, de VIII. Beatitudinibus, demum de Latria et Dulia rursus per Rubricas.

V. fol. 32. Post Exempla quaedam et Effata ad Principes potissimum pertinentia sequuntur Excerpta ex *Aristotelis Ethicis et Politicis* ordine Librorum.

VI. fol. 43. Liber, ut e calce praeoccupo, de doctrina dicendi et tacendi ab albertano causidico brisienti de ore (ora) sancte Agathe compositus missus ad stephanum filium suum sub anno domini 1245. mense decembris. Dixi jam bis de hoc Opusculo hoc Vol. ut habes in Indice.

VII. fol. 49. Tractatus ἀθεσπορος de Actibus Humanis per Aphorismos procedens huius initii: *Aristoteles macedo princeps philosophorum quem deus in esse produxit ut secreta nature reuelaret de rebus quarum speculatores et factores existimus seriose edocuit.* Nunc

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

uero de principijs actuum humanorum dicendum sententiam aristotelis et diuini hominis euidentiam imitando. &c. Abrumpitur in Quaestione: *Utrum suggestio dyamonie (sic) insit per speciem delectabilem uel tristabilem, seu utroque modo.*

DLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 657 XII. Folior. 52. 8. eleganter exaratus, rubricis distinctus, et J. Alex. Brassicani Icti primum, tum Joh. Fabri Ep. nostri Κρημα titulum praefert: *Incipit Dyalogus de ecclesiastico principatu; et ita ingreditur: Omnis ecclesiastici ordinis principatus in apostolicis sacerdotibus fundatur, et regitur a primordio nascentis ecclesie. que ab apostolis est fundata et eorum doctrinis toto terrarum orbe dilatata. Hec est celestis regina eterni regis sponsa. cuius decorem admirans propheta canit in psalmo. Assistit regina a dextris tuis in uestitu deaurato. circumdata uarietate. Cuius tempora cum secundum lunaris cursus mutationem per incrementa et decrementa constat uariari. de statu illius aliqua scribere proposui. hac uidelicet intentione. ut et animus meus in hoc opusculo meditando habeat exercitationem. et legentes qualemcunque capiant edificationem. Patris autem mei spiritalis domini Erbonis obediens iussioni. sic eius uoluntati. et legentium deseruire cupio utilitati. ut per interrogationem et responsonem decurrat oratio. et inde libellus iste dyalogus uocari debeat.* Hic igitur

N

Collo-

Colloquium inter *Discipulum* et *Magistrum* inchoat II. *Libris* constans, qui partim de indigna Praelatorum Ecclesiae vita, partim de nata inde secularis Potestatis in sacra Jura invasione tractant. Autorem primum *Benedictinum* et *Germanum* quidem, et *Erbonem* illum sive *Aribonem* Archiep. *Moguntinum* habebam, donec legem p. 16. Sed moderno tempore regnante *Henrico V<sup>o</sup>*. cum captus ab eo esset dolo detestabili *Paschalis* papa effuso hac de causa multo sanguine romanorum. ut reconciliaretur sacerdotio imperium. recepit ecclesia libertatis suae privilegium, cum igitur *Paschalis* anno primum 1099. Papatum adeptus sit; *Aribo* vero jam anno 1031. excesserit, de hoc sermo esse non potest. Progressus ad *Librum* II. ubi Autor adferit, posse ferventibus Ecclesiae calamitatibus dimitti Episcopi officium, p. 30. lego: *Memorable illud factum Henrici Ratisponensis episcopi quod nostro tempore vidimus non tacemus. Qui dum propinquum sibi obitum imminere cognoscit. ad cenobialis portum conuolat ordinis. ac sacerdotalis infulas dignitatis monachicis mutat induviis. &c.* Ergo post an. 1155. quo *Henricus* ille Monachum ad *S. Emmerami* induit, scripsit Noster. At saltem *Germanus* fuit? Ne id quidem videtur, si illum audias. Nam postquam, qui se dignitatibus abdicassent, *Lucium* Ep. *Sicolensem*, *Valerium* *Hippon.* *Siluanum* Rhetorem, *S. Benedictum*, *Leonem* Abb. *Nonantulanum*, *Arnulfum* Ep. *Metens.* excitasset, ita p.

35. profequitur: *Preterea uenerabilis uir Farulfus. cum in cisterna apulig ciuitate cathedram episcopalem obtinuisset. hanc reliquit. ac duobus circulis ferreis non parui ponderis pectus uentremque constrinxit quibus affligi fere iam a septennio non cessauit. Vino uel nunquam uel raro utitur. crebris quoque ieiuniis maceratur. Hic tantus uir ad abrenuntiationem episcopatus non me minus hortatus est uerbo quam prouocabat exemplo. Quis hinc non concluderet, Italum fuisse potius et Episcopum? Sed adverte, non hic illum suis uerbis uti, sed exscribere *Petrum Damiani Opusc.* XIX. quod edit. *Paris.* 1664. T. III. p. 184. f. de *Abdicatione Episcopatus* habetur; qua in re cum Lectoribus non optima fide agit, qui ad solum *Silvani* exemplum praedictum *Petrum* citat, reliqua uero ex semetipso proferre uidetur. Itaque cum propter *Erbonem*, tum propter *Henricum Ratisb.* *Germanus* mihi et *S. Benedicti* Monachus est, dum aliud docear; nullum enim hactenus uel Autoris uestigium reperi, uel praeclari cetera *Opusculi*, quod terminatur: ut cum tempore mortalitatis suae cum *martha* solliciti sunt. et turbantur erga plurima. saltem post mortem optimam partem *Mariae* in aeternae uitae requie percipiant.*

Adscripta sunt a diversa manu Excerpta breviora e *Iohanne Chryso.* *Hieronymo*, *Cypriano*, sed prolixius *Ex libro firmiani lactantii. De duabus uiis*, quod constat Praefatione in *L. I. Diuin. Instit.*  
usque

1313

D O G M A T I C I

1314

usque ad verba: *tantumque apud eos veritatis* &c. et dein *Libri VI. Capitib. 3. et 4. integris et eleganter et fatis recte descriptis.*

DLXXXV.

U. 861 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 52. f. min. utinam tam emendate, quam eleganter perscriptus, inter picturata frontis ornamenta Insignia regia *Corviniana* referens, dein vero ad *Joh. Fabrum Ep. Vindob.* delatus inscribitur: *Altiuidi De Immortalitate Animae Liber Incipit. Απογοραφον Mediceum*, qualia inter Codices *Corvinianos* non pauca sunt, mox suspicatus consulto Cl. *Bandinii Catalogo T. III. Codd. Lat. col. 254. Plut. LXXXIV. Cod. 24. n. 7.* deprehendi *Πρωτοτυπον*, sed ne illud quidem Sec. XV. vetustius, et in *Libros V.* distributum, quos signare neglexit *Corvini* amanuensis diversa *Tractationis Capita* literis grandibus caeruleis distinguere contentus. Init porro *Tractatio: Quoddam die cum fraterno funere propinquo affluentior fletus incubuisset. isque ad vesperum usque protelatus. iam rivulis oculorum fluxu largiori exaustis. sese (sibi?) uehementiorem dolorem ascisset, utrumque solito grauior atque procliuior consocius somnus secutus est. Jamque hinc Portenta. Aduehitur ab una parte uir aspectu uenerabilis tribus elegantibus Juuenibus comitatus, quorum primo altiuidus, secundo quidem conlibitus, tercio nimirum iramalus accedebant uocabula,* ab al-

tera parte adequitat homo medie quidem etatis cum frequenti ac lasciuienti strepitu; circumfunduntur Somniantis lectulo, et, quinam essent, quaerenti respondet Senex: *Ego quidem interioris, alius exterioris hominis uocabulo censeor. Mox Exterior Homo* orationem auspicatur primum a commendatione scientiae suae, dein a laudibus Amicitiae, ubi enumeratis doctis Graecis et Latinis, quos nunquam uidimus, et tamen diligimus, addit: *Num, ut ad nostri temporis uiros fiat orationis recursus, gergelarius, albidus, constantius nostre sunt dilectionis expertes? Quinam Viri hi docti, aut cuius aevi? Tota deinceps Oratio non ad eximendum Somniantis de Fratris amissione dolorem, sed acrius potius infigendum comparata est. Igitur contra insurgit Senex, five Interior Homo, Oratoremque refutat primum ipse, tum: Age itaque fili altiuide de immortalitate animorum sermonem institue. Paret Altiuidus duplici disputatione; prima quidem iustum exequitur, resumto dein sermone penitus in Animae naturam descendit: Primum igitur inquit ut opificis quam inquirimus similitudo clarius expressiusque reperiatur in anima, considerandum occurrit, quid in ea inperetur, nec inperet. Deinde quid inperetur et inperet, tercio quid sit quod inperet, nec ab alio inperetur. Atque haec mox Sensuale, Rationale et Intellectuale compellat, et cum Animam ad Opificis, ut dixit, similitudinem exigat, multus est in diuina Natu-*

N 2

ra